






Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 1226 4° (LN 608)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 1226 4° (LN 608)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 1226 4° (LN 608)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 1226 4° (LN 608)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 1226 4° [LN 608]

DA BOX

N<sup>o</sup> 1226.



sc. tucker fecit



L N. 608

M






ÆGLOGA  
DE ECLIPSIS SOLARI

ANNO 1574. MENSE NOVEMBRI  
futura, & tempore plenilunij ecliptici Anno 1573. con-  
specti, Succularum ortu obiter descripto, breuiq[ue] Melibæi  
pastoris querela, qui de funesta sui gregis clade conque-  
rens, defectus luminarium in cœlo prævia eſſe sig-  
na filij Dej ad iudicium venturi, in-  
terpretatur.

HVIC ADDITA EST PRECATIO AD DEVUM,  
pro conservatione elementaris regionis tempore propositi  
Solis deliquij.

Autore

PETRO IACOBO  
FLEMLOSSIO.



HAFNIAE,  
Impressit Laurentius Benedictij.

1574.

ANTIQUÆ NOBILI  
TATIS SPLENDORE, DOCTRINA  
& virtutibus Iuuenj Praeclaro, Tychoni Brahe Otthonie  
di, Domino de Knudsdorp, Mecænati ac Do-  
mino suo, in primis obser-  
uando.

Petrus Jacobus Flemfoſius  
S. D.

**L**INIVS LVMINARIVM DEFECTVS  
in miraculorum numerum referendos esse rectè censuit. Est  
enim maxima admiratione dignum, splendidissima cœli  
lumina in caliginem obscuris coloribus densam, atq; speciem  
horrendis offuscata tenebris subito, & aliquando præter  
multorum hominum opinionem terribiliter transformari. Cum amabilis  
diurnæ lucis splendor odiosa confunditur vmbriter noctis obscuritate, il-  
lustrisq; nocturnarum operarum regina seruilem obscuræ ancillæ habitum  
induit. Quæ et si veras in natura caußas habent, certisq; motuum cœli le-  
gibus fiunt: tamen non sunt superbè ridenda, tanquam & & quoddam,  
aut iuxta Epicureorum decreta temerè aspernanda.

Præsertim cum nos de magnis & grauiſſimis rebus admoneant,  
nempè de ira Dej aduersus peccatum & de tristibus pœnis hoc concomi-  
tantibus. Nam procul dubio hæc stupenda naturæ miracula in sublimj  
cœlo ideo maximè in prima omnium rerum conditione diuinitus ordinata  
sunt, atq; hominum conspectui manifestè obiecta: ut essent indices irascentis  
Dej, ac minantis digna supplicia his, qui securè in enormibus delictis per-  
seuerant: præviaq; signa tristium, quas peccando attrahimus, calamitatum.

Siquidem omnium ætatum historiæ euidenter testantur, varia-  
rum rerum pernicioſas humano generi clades, statim post huiusmodi siderum  
obſcurationes accidisse. Siue etenim omnes antiquitatis historias repe-  
temus, siue annales rerum temporibus nuper elapsis gestarum, quarum recens  
adhiç memoria in multorum hominum animis viget, euoluemus: com-  
per-



periculum certè bellicos tumultus, regnum & bonarum legum mutationes, sanguinasq; pestilentias semper tanquam individuos comites, aut nullo aut exiguo tempore intericto, secutas esse Solis & Lunæ deliquia: ut illa mala penitus denuntiari à cœli vultu tristi, ac veluti mortalium vicem dolente, viderentur.

Illa namque Solis defectio, cuius (antea à Thalete Milesio recte prædictæ) conspectio Lydis & Medis tantum iniecit timorem, ut à pugnando desisterent, cum anno mundi 3382. sublatis signis aequo utriq; marte de summa rerum, ut inquit Herodotus, decertarent, mutandam esse monarchiam primam indicauit cœlitus: quam breui post tempore, Cyrus a suo Astyage Medorum imperatore, atq; Crœso Lydiæ rege, non absq; cruento bello captis, à Medis ad Persas transtulit.

Eam verò, quæ anno mundi 3539. ante Christum natum annis 423. à Pericle eiusq; exercitu, quem in Peloponесum contra Atheniensium hostes ducturus erat, ipso meridie conspecta est, tantis inuoluto Sole tenebris, ut etiam sidera cœlo adhærentia interdiu viderentur, sicut scribit Thucydides, secuta est pestilentia usq; adeò indomito graſans veneno in Græcia: ut non tantum medicamentis villa ratione non cederet, sed & horum viribus pertinaci virulentia fractis, pedes, brachia capita q; ipsa violenti corrupta putredine, à reliquo corpore non paucis ægrotantibus crudeliter auelleret: furoribus præterea & mentis alienatione multos in puteos præcipites ageret, memoriamque iis, qui aliquam pristinæ valetudinis partem recuperarunt, deleret. His etiam temporibus præcipuorum Græciae magnatum animi dissihiis distrahebantur: unde diuturnum, funestū atq; toti Græciæ admodum exitiale bellum exarsit. In quo quot incendia, direptiones, vastitates, clarissimorum virorum acerbissimas mortes, miserimasq; virium deditiones Græci sint experti, dictu facile non est.

Iam verò, si quis nostrum seculum examinet, videbit sane eclipsin diurnam, quæ in annum 1502. Christi saluatoris nostri incidit, non frustrà plurimis Europæ nationibus calamitates omnis generis minatam fuisse. Nam duos eam subsequentes annos bellis, seditionum commotionibus, illustrissimorum principum morte, aliisq; huiusmodi exitiosis mortalium cœtui ærumnis celebres reddidit. Reliquarum autē offuscationū, quæ nostra ætate Soli & Lunæ contigerunt, nulla hoc loco mentione opus esse arbitror. Quandoquidem prouectæ ætatis neminem esse existimo, qui non recordetur præcipuas mutationes atq; clades, quæ in toto ferè terrarum orbe proximis annis auditæ vel visæ sunt, eclipsibus esse priusquam acciderunt,

indicatas. Cum illi qui nondum adoleuerunt, fateantur deliquia, unum Solis in signo humano, quadrato Martis radio oppugnatum &c: alterum in postremis sagittarij stellati partibus, anno post Christum natum supra millesimum, quingentesimum & sexagesimum tertio, Preccurrisse pestiferam illam luem, que per uniuersum penè habitabilem mundum serpsit, tanquam nuntiantia hanc breui cum aliis malis subsecuturam.

Cum igitur tam veterum, quam nostri temporis historie testentur, eclipses non esse vana terriculamenta, sed veros potius nuntios multorum malorum, quibus propter multiplicia peccata iuste affligimur: consultum est, ut eas studiose inuestigemus, obseruemus, atq; haud sine pio paurose aspiciamus: ut hisce minacibus cœli prodigiis admoniti, veram agamus pœnitentiam, diuinamq; imploremus opem: ut Deus impendentes penas per illa significatas, propter filium suum tollere, aut saltem mitigare prosua bona voluntate velit. Posse enim cœlestia fata à Deo mitigari, auerti & tolli ad pias preces, modò diuinæ gloriae, incolumitati atq; saluti piorū id contrariū non fuerit, nemo qui Christo nomine dedit, dubitare debet.

Quarè cum hæc ita sint, & 13. die Nouembris labentis huius anni Luna subiens inter aspectum nostrū & solare corpus, in occiduo cardine, magnam eius radiorum partem, quos alias à Sole acceptos, in subiecta quatuor elementa deferre solet, sursum in cœlum regestura sit: unde fiet, ut terribili caligine multos terrarum tractus inuoluat, prodigiosam cœli faciem iisdem ostendens: neque quisquam, quod ego sciam, de hoc nouilunio ecliptico quicquam, præter ipsius tempus, publicauerit: eius summam breuiter complexus sum bucolico carmine: quod cum humi serpat, magnam orationis maiestatem non requirit. Ut autem id conuenienter fieret, ipsi Solis eclipsi præmissi tempus plenilunij defectiui anno salutiferi partus 1573. visi, Hyardum ortu obiter indicatū, atq; breuem Melibœi pastoris querelam, qui cruentam sui gregis stragem deflens, prodigia que in cœlo hominibus ostenduntur, signa esse Iesu Christi sublimi tremendaq; maiestate ornatum aduentum præcurrentia, dicit.

Et cum inferior globus, nempe elementa & ea, quæ in his vitæ suæ feliciter conseruandæ habitationes inuenerunt, deficiente, aut saltem impedito stellarum viuisco lumine, detrimentum capere soleant, nisi diuinatus conseruentur: precationem ad Deum, pro conservatione elementaris naturæ tempore propositi Solis defectus, Æglogæ huic subiunxi.

Quia autem nobilissime Héros, omnibus seculis, quorum quidem annales ad nos peruenierunt, hæc tenus usitatum est, eos qui aliquid edituri

edituri essent, id non nisi patrono & mecenati cuidam dedicatum, in publicum mittere: nolui ego has meas pagellas absq; defensoris nomine prelo committere. Ne receptæ consuetudini diu multumq; ab omnibus recte indicantibus approbatæ, temerè repugnare, laudabilesq; & honestos mores contumaciter detrectare, viderer.

Deliberanti verò mihi à quo potissimum iisdem his chartulis conueniens patrocinium peterem: tu solus index & patronus rogandus videbaris. Cum enim in hac consultatione versarer, ei supplicandum esse ratio suadebat: cuius doctrina, iudicio atq; defensione vterer. Tuam autem doctrinam tam excellentem esse, vt non modo meos in studiis literarum conatus omnibus modis sufficienter iuuare, verum etiam doctissimos quosq; laudabiliter erudire possit: præclara testantur monumenta è viuido tuo nata ingenio, eximiae certè plena eruditionis: quorum partim domi tuae adhuc seruantur, partim verò utiliter multorum manibus teruntur: numerosaq; illa studiosæ iuuentutis, ac optimorum virorum omni disciplinarum genere instructissimorum corona, quæ te docentem quotidie magna cum admiratione, atq; studiorum suorum profectu, audit.

Iudicium verò tuum de rebus dubiis & perplexis, quām sit acre, seuerum & graue, vt à mei ingenij tenuitate dici non potest, ita neque hic locus requirit: præsertim, cum omnibus eruditis notū sit, quanta iudicij dexteritate versatus sis tam in inferioribus artibus, re naturali, & vtraq; medicina, cum aliquid præ ceteris approbandum, aut improbandum esset, quām in sublimiori illa vereq; diuina Philosophia, quæ Mathematica dicitur: vbi omnia illa, quæ cum cœlestium motuum legibus, obseruationibus, phænomenis, magistratq; experientia consentire, firmumq; in natura habere fundamentum, videbantur: comprobanda & diligenter asseruanda, reliqua verò & his contraria, quorū perplexa ambiguitas doctorum hominum iudicia habēnus non parum exercuit, improbanda & abiicienda acriter censuisti. Meis igitur, quas ob tenuitatem suam, vix ausim nominare, pagellis limam sine negotio addideris. Quas etiam tuo patrocinio ab improborum calumniis tutas facile efficias: qui totam de cœlo eiusq; effectibus doctrinam supina negligentia atq; cyclopica barbarie multis in locis penè oppressam, pristine sue dignitati verè heroicis, quæ in te permultæ eluent, virtutibus stimulatus, nomini tuo immortalitatem conciliando, egregiè restitus.

Te proinde nobilissime Heros, ea qua debo animi subiectione & reverentia oro & obsecro, ne hanc dedicationem prorsus asperneris, sed

eam pro singulari tua humanitate ac benevolentia, in meliorem partem  
accipiens, has pagellas, æquo de ipsis factio iudicio, tua tutela aduersus ini-  
quos calumniatores munitas, in publicum prodire: meq; cum studiis meis,  
cum esse clientem, benignè patiaris. Quod te facturum spero, potissimum,  
cum tua ipsis egregia virtus hoc mibi polliceatur, Deoq; ipsi rem gra-  
tam ea ratione, tibi verò honorificam præstiteris. Vale anima  
et corpore integer. Hafniæ 16. calendaras

Nouemb. Anno

1574.



MOE.

## MOERIS ET MELIBOEVS.

**R**Oscida nocturnas aurora fugauerat umbras,  
Ac nitidus radiis Titan lustrauerat orbem,  
Lampadis & solito maiores sparserat ignes.  
Forte iacens gelido Mæris requieuit in antro,

Mons quæ Siertzlofius turritæ prominet yrbi,  
Olim quem latè celebrarunt martia castra  
Principis, à Christo cepit qui nomen & omen.  
Lumine ybi terram perfundunt astra benigno.

Vnde virent plantæ pecori gratissima dona.  
Nam Cytisus florens h̄ic prouenit inter bibiscos,  
Surgit & in mediis humiliſ saliunca frutetis,  
Sensim vere nouo salicum nemus omne virescit,  
Herboſq; patens vestitur gramine campus.  
Non herbæ pratis, non desunt floris honores.  
Nam pulcri ſparſo resonant examine flores.  
At Mæris paulum collectis viribus umbra,  
Proſpiciens tacito vegetum caput extulit antro,  
Proſpicit & ſalvas inter virgulta capellas,  
Hædorumq; gregem Melibœum agitare propinquum,  
Ocius hunc lætus verbis affatur amicis:

Huc ades ô Melibœe, capellas pascat Amintas.

Mær.

Confideas mecum patula tantisper in umbra:  
Corpora dum placido nos feſſa ſopore leuemus,  
Dum pecori ſalices tenero carpuntur amaræ,  
Ruminat atq; hædus molli proiectus in herba.

Iussa hæc Mæriſequar, quoniam conuenimus ambo.

Melib.

Nam

Nam qui perpetuo curarum fluctuat æstu,  
Vix canescens latus videt ille senectam.

Dicere non vereor. Nam mea cura coquebat,  
Et tristem mordax insomnes ducere noctes  
Sæpè facit, mæsto mihi morsu corda fatigans.

Mær. O Melibæe, tibi quæ tanti est causa doloris?

Aëra quid sœuis vacuum singultibus imples,  
Anxia dum pressi renouas suspiria cordis?

Nonne caper tenera ludit tibi saluus in herba?  
Sufficiens ué domi est pressi tibi copia lactis?

Melib. Mæri mei causa est gemitus non parua dolentis.

Namq; Lupus frendens, animo ferus & ferus ore,  
Noctiuaga & vulpes fallax, astuq; dolosa,  
Noctes atq; dies nostro de sanguine certant,  
Atque dolos vafre varijs meditantur ouili.

Mær. O Melibæe mihi neq; parcunt ora ferarum.

Sæpè mea horriferis stabula armis pinguia cingunt.  
Sed tamen haud tingunt sua rostra cruento capellæ.  
Carniuoris neferis tuus est grex pabula factus?  
Eia age, dic nobis Melibæe ab origine prima,  
Herbiuagi casus gregis, insidiasq; ferarum.

Melib. Ah querulum nos Mæri iubes renouare dolorem:

Sed si sollicitè cupis hos cognoscere casus,  
Incipiam, quamuis quatiat præcordia mæror.  
Purpureis Phæbus puero comitatus aquoso,  
Mæri redibat equis Scythiae glacialis in oras,  
Directisq; comis siccabat Praessa perusta.

Nox

Nox erat obscura, & fessos hominesq; canesq;  
Occupat alta quies, & ruri cuncta quierant:  
Dum medio noctis spatiantur sidera gressu:  
Fortè lupos pepulit glacialis hyems ad ouile  
Nostrum ieiunos, aderant vulpesq; sagaces,  
Vrsorum è syluis magna comitante caterua.  
Impetu & euertunt valido balantia septa.  
Et teneros auidis laniabant dentibus agnos:  
Atque cateruatim (multum latrante lycisca)  
Ecce, dabant stragem, haud credis quam Mæri cruentā.  
Iamque Lupi & vulpes dapibus cum sanguine mistis  
Puniceo gaudent, vt sanguine sanguis alatur.  
Heu quantum scelus est, animantis morte nefanda,  
Viuat vt vrsus atrox, vulpesq; lupusq; nociuus.  
Et mirum dictu, mitis quod spiritus agni  
Non ferus, in corpus transit crudele ferarum:  
Haud tamen antiquum retinet: sed quod fuit antè  
Deponit, vulpesq; est iam, quod erat prius agnus.  
Nam gregis horrifica dum tento nocte laborem  
Ipse leuare mei, mea sors æquatur ouilis  
Horribili fato, cum me petit vnguibus vrsus,  
Dentibus & vulpes, furit & lupus ore cruento:  
Quamquam sunt facilis saturati carnibus agni.  
Bestia & hic aderat reliquis immanior ira,  
Atque dolo turpi, rabie, queruloq; vululatu,  
Non referens fratrum facies, crurumue figuram:  
Est macer atque cutis rigidis caret arida villis:

B

Prog

Pro<sup>q</sup> pedum pediis clauas gerit ista salignas.  
Quam si vidisses, monstrum crudele putassem.  
Hostibus, h<sup>e</sup>c, valido reliquis conamine abactis,  
Restitit, & summis lacerum me viribus urget.  
Nam mecum renouat duri certamina martis,  
Et modò ceruicem, iugulum modò crurag captat,  
Acrius insurgens omniq<sup>z</sup> à parte laceſſens,  
Ut me pessundet, furiis agitata nefandis,  
Haud secus ac pernix, rabie citus atq<sup>z</sup> furore,  
Ludiferi missus canis in ſpectacula circi,  
Fertur in obiectum, committens prælia, taurum.  
Tantæ molis erat Melibœum fallere nocte.

Non procul existens ad me venit ipſe BLARCES  
Ambiguae & validis vitæ ſuccurrit in armis:  
Cum nos eriperet Parcæ de fauibus atræ.  
Sic redit interdum mortis de limine vita.  
Non tamen hostilis ſubitò deferbuit ira,  
Sed gannit ſtomachansq<sup>z</sup> chimæra recedit in antrum.

Mæris. O Melibœe, mei cum ſis pars maxima amoris :  
Soluas corde metum, & tristes ſecludere curas  
Pergas: diſce pati, melius quo triftia vincas.  
Fortiter ærumnas ſanat patientia. Quare  
Aſpera, quæ tulerit fallax fortuna dierum,  
Hæc ſuperanda tibi ſunt æqua mente ferendo.  
Et mala, quæ reputas tibi nunc perferre moleſtum,  
Certò permultum poſt hac meminiſſe iuuabit.  
Nam ſenſu vigili qui aloēn percepit amaram,

Hic

Hic melius gustu discernit dulcia mella.  
Tempora, ne doleas, nec sunt longæua malorum.  
Namque serena dies depulsa nube resurgit.  
Succedunt hyemi quoque læti veris honores.

Hac iter ad sedes dicit Melibæe quietas,  
Quas lætus capies, lætas tribuente tonante.  
Iura dabit siquidem non tardans vltima mundo.  
Namque, senescentis, nuper nox edidit atra  
Signum triste, minans mundi, mihi credit, ruinam.  
Fessos gurgite equos cum tinxit Phœbus Ibero,  
Noctifer & clauso nigrarat vesper olympos  
Terram conigera latè caligine nostram,  
Ætherei liquidis Tauri & radiantia flammis  
Vndis tollebant sese quinque ora coruscis.  
Altius at bigis graditur subuecta Diana,  
Cornuaq; incedens plenum contraxit in orbem.  
Tum pecus omne meum querulis stabulabat in antris.  
Atque ministrabam seclusis pabula capris.  
Cumq; videretur solito tenebrosior ær:  
Non mora, tollebam pauidus vaga in æthera pictum  
Lumina, pertimideq; locos speculabar in omnes.  
Tum demum vidi cæcæ caligine noctis,  
Phœben multiuagam roseos inuoluere vultus:  
Et penitus fratri spoliarij, lumine Phœbi.

Hæc ô Mæri docent citò nobis affore tempus,      Melib.  
Quo mihi cessabunt mæsti suspiria cordis,  
Omnes cum dominus soluet mihi pectore curas.

B 2

Ergo

Ergo age noster amor contex sequentia dictis :  
Quæ mihi mærores pellent de corde molestos.

Mæris.    Dum Melibœ stupens rerum nouitate pauesco,  
Intueorq; nouas facies, cæliq; laborem.  
En pietate grauis nobis assitit ARITHMV S,  
In me defigens oculos vultumq; seuerum.  
Quarè, ait, infelix frustrà nunc sidera lustras ?  
Et requiem sfernisi grati pastoribus antri,  
Lanigerosq; greges & dulcis munera lactis ?  
Hisne solent Lycida ac Thyrsis ditescere rebus ?  
Dixi, care hospes, tua vox est consona vero.  
Divitiæ gregibus, credo, quæruntur opimæ.  
Sic tamen has curio terrestres atq; caducas.  
Ut simul hinc quæramus cœlestes atque beatas.  
Et iuuat interdum sublimè attollere vultus,  
Æthereasq; domos acie comprehendere visus :  
Ut cognoscantur mihi splendida templa tonantis,  
Quæ sunt æternæ sedes promissa salutis.  
Nam colo sic terras, ut non sfernatur Olympus :  
Sed colo sic terras, simul ut curetur olympus.  
Nec colo sic terras, ut me contristet olympus :  
Sed colo sic terras, ut me delectet olympus.  
Hospes ad hæc, inquit, verè cum sit tibi cordi,  
Stelliferi varios cæli cognoscere vultus :  
Si te peruigilans tangit iam cura futuri :  
Atq; decens, PASTOR, si qua est reuerētia NOSTRI :  
Cæli te positum, Solisq; docebo labores.

Ante

*Antè greges, dixi, pascentur in æthere nostri,  
Graminis obliti, picta cum floribus herba :  
Debita quam vobis me non soluisse iuuabit.  
Ergo, ait, obserues habitum patientis olympi,  
Scorpius eous primum cum cordis ocellum  
Hic aperit cæcum : ac claudit sua lumina Taurus,  
Cornuaque ipse latens submergit Thetyos vndis.  
Hic postquam auroram Nabathæaq; regna riliquit,  
Emensusq; viam, medio quæ altissima cælo est,  
Et seros Titan proiecit ad Ægilon ignes.  
Tum sua multiparæ reparabit cornua terræ,  
Quæ decus est noctis gelidæ, Titania Phœbe.  
Atque ideo bigas Phœbi cum lampade iunget :  
Hauriat ut claro fratriis de lumine lumen.  
Ast iter hic proprium sibi lumen vtrumq; referuat.  
Inter vtramq; viam breuiorq; videbitur arcus  
Mensura, quam tum moles cernentur habere  
Dimidiæ, Solis iam nigri & Cynthiae opacæ.  
Atra means igitur Phœbe sub Sole corusco,  
Luminis illius depellet ad æthera partem.  
Nec vebet ad terras acceptos lampadis ignes,  
Hos, quibus in mundo viuunt animantia cuncta.  
Nam pars, vmbifera, tum maximi Apollinis ingens  
Vultus viuifici, tegitur subeunte Diana  
Inter Phœbeios radios ac lumina nostra.  
Exhibit ostentum polus hic mirabile visu :  
Expers dum decoris proprij Sol deficit orbe :*

B3

Et

*Et veluti luget mœrens in funere tristi,  
Qui regale decus, prima est & gloria cœli.*

*Testis non fallax erit, ecce, GEOMETER ille,  
Qui enthymema sono non torquet inane rotato.  
Nescit & incertos phaleratis ducere verbis.  
Haud piget hunc alas, alis coniungere nostris.  
Aduolet interdum ut nobiscum ad sidera cœli:  
Horum ubi multiuagos cursus tristesq; labores  
Quærimus, ut NOSTRIS certò monstremus AMICIS,  
HIS, quibus est quædam NOSTRI reuerentia curæ.  
Hæc Melibœ mihi ut breuibus sic fatus ARITHmus,  
Stellarumq; greges, monstrasset, in æthere mixti  
Ut disponentur uenturi tempore luctus:  
Officio functum se se tunc innuit eſſe.  
Non igitur docuit tardè properantia fata,  
Quæ minitans mœsti positus portendet olympi.*

Melib.    *Ædibus in sacris, ô Mœri hîc voce canora  
Nuper diuini cecinerunt talia vates:  
Iam Deus extremum meditans imponere finem  
Mundo peccatis grauido, rebusq; caducis:  
Ac punire malos, iure & defendere sanctos:  
Signa poli signat, quæ sunt manifesta, micantis.  
Signa futuri ut sint celsis in nubibus actus,  
Mansuetis quo vult ouibus secludere capras  
Cornigeras scelerum vindex, ac arbiter æquus  
Iudicio causas postremo cernere nostras.  
Vatibus his, nostrum quis non vult credere sacris?*

*Credo*

Credo equidem verè : nam sunt reuerenter habendi.  
Cum sint legati magni rectoris olympi.  
Atque immota sonent nostræ decreta salutis.

Mær.

His, Melibœe, meæ si vis attendere voci,  
Addam, quæ grata MÆNTIS narravit in umbra  
Nuper doctiloquus, cum vera effecta rogarem  
Luminis aucti terris & in æthera pulsi,  
Viuis viuificus, quo temperat omnia Phœbus.

Dixit, ubi primum Solis post tempora luctus,  
Ter quater hæc Phœbe renouarit lampadis ignem,  
Et totidem iunctis implerit cornibus orbem:  
Luclisonas tremula geminabit voce querelas  
Hic globus inferior languenti corde gemiscens:  
Officium haud stellas orbis fecisse superni.  
Debita cum terris tegerent Phœbeia capillis  
Lumina perdensis, & ad has transire vetarent.  
Et gemit impositos se non perferre labores  
Posse sibi, quando superis linquatur ab astris:  
Non producere amica animali germina vitæ,  
Primaue mixtarum moderari semina rerum.

Nam, velut vt soboles nascatur, vterq; neceſſe eſt  
Mæri parens adſit, ſimul & suffragia mittat:  
Æther ſideribus ſic iungat ſidera terræ,  
Nec cefum vires ceſſet demittere cælum  
Præualidas, vegetis inferni viribus orbis.  
Neue ſibi innatas elementa caduca recuſent  
Virtutes, firmi virtutibus addere cœl:

B 4

Infe<sup>a</sup>

Inferiore ut sit certum moderamen in orbe.

Ac terræ vigeant & in his viuentia salua

Sint, & aquæ grata foueant dulcedine pisces.

Atque secent volucres purum sic aëra pennis.

Stella tenens igitur medium septemplicis orbis,

En, regina potens cæli, rerumq; nouatrix,

Quam reliquæ magni stellæ venerantur olympi,

Sidera quandoquidem terrena iuuare negabit:

Haud globus infernus moderabitur omnia dextre,

Complexu placido quæcunque fouenda recepit.

Militiæ Mauors tum dux cælestis acerbus,

Capri terga premens squamosi, in culmine cæli,

Fulminis igniferi leget vndique pabula plena,

Horrisonosq; ciet reserato carcere ventos,

Turbine & vndinago subuertet in æquore puppes.

Vnde suos matres quærerent in littore natos.

Pestiferumq; vagum diffundet in aëra virus,

Conuellens multos truculentis febribus ægros:

Quos aut perpetuus flammati pectoris æstus

Pascitur, aut fugiens sœpè & per certa reuisens

Interualla, genus sœuo mortale dolore

Conficit. Utq; rosas violentus discutit Auster,

Hortorumq; decus violas corrumpit amænas:

Sic multos hominum iuuenili dote superbos,

Improba mors Stygias violenter mittet ad vndas.

Aëra sed nebula miscebit falcifer atra.

Vnde melancholico complentur viscera succo

Splenis,

*Splenis, & hunc torquent tumor ac obstructio, scirrhos,  
Flammaque comburens pingui cum sanguine carnem.*

*Atque senescentum consumto sanguine amico,  
Corpora tabescent, postremaque fata subibunt.*

*Plurima morborum sic nos contagia ldent,  
Inter mortales ludentia mille figuris.*

*Vsibus & nostris aptata animantia quæque,  
Clade sua ostendent, quid sit saturnius ignis.*

*Scorpius assistens mundanæ lumine parti  
Vitali cassæ, dirum vomet ipse venenum:  
Quo vis multarum languebit viuida rerum.  
Vtque procellosus pelagus vi commouet austera  
Vastum: sic totus furiis agitabitur orbis.*

*Magnatum sœnas animus rapietur in iras.  
Plebsque fremet trepidis clamosa tumultibus omnis.*

*Vltima quarè illos mœsto cum carcere fata  
Haud incerta manent, ast hanc oppressio dura.  
Crimine certabunt domini seruique fugaces.*

*Sæpè & crudelis gliscet violentia multis.  
Laudi ducetur, raptis tunc viuere rebus.*

*Atque fidem latè sanctam temerare per orbem.  
Sicque manus fuso, leue, sanguine habere cruentas.  
In facinus cunctos tetrum iurasse putabis.*

*Mœrifac vt gladios trito de vomere cudas.  
Arma pard bello, dum sis securus in aruis.  
Viues vix hyemes binas sine militis vsu.*

*Ergo animus, fabar, violentis cogitur astris.*

*Sidera,*

Sidera, respondit, mentes ratione fruentes  
Cogere non possunt. Verum quia sœpè recusant  
Fortia mortales mentis moderamina rectæ.  
Sœpè, en, mortales non flectunt cœlica fata.  
Sponte sua at currunt corruptæ tramite carnis,  
( Sidera quæ sequitur, culpa absque mouentia, mota.)  
Et dominum spernunt, vasti cui machina mundi  
Subiacet, atque manu valida qui temperat astra.

Melib. Hunc igitur veniam studeamus poscere votis  
Lætam supplicibus, cui soli est prima potestas.  
Terribilis toruam permulceat ætheris iram.  
Atque minas cœli dignetur tollere sœuas:  
Fulmina ne tenso crudelia torqueat arcu,  
Et celeri iactu subiectum mittat in orbem.

Mær. O Melibœ mihi tua iussa capessere fas est.  
Nam prece præuisas clades auertere sancta,  
Paxuro generi permultu:n proderit olim.

Heus Melibœ mane, capras compellat Amyntas.  
Hanc placidè mecum securus transige noctem.  
Caseus est nouus hic nobis, carnesque suillæ,  
Acolus in promtu, mihi quod mea coxit Elissa.  
Mox & conspicuum clausurus vesper olympum.  
Roscida nam cecidit nostris de montibus umbra.



EUXH

10


Εὐχὴ πρὸς τὸν θεόν, περὶ τὸ τῆς κατωτέρας σφαιράς  
φυλάγματος, ἐν ταύτῃ τῇ  
ηλιακῇ ἐκλείψιος  
χρόνῳ.

παῖδες κατεργός κόσμοι μονάρχη,  
Οὓς ζώοντα λόγῳ τεχνήσαο συρανόμενού.  
Αὐτὸν φωτίζοι μίακοσμῶν τῶν γε φαενόντι.  
Ἵσος κέλιον φαέθοντα τέθεικας ἄνακτα,  
Μίλιον πανυχίης κερατῶν βασίλειαν ὅμιχλης,  
καὶ παισους δέρατας κείνοιρ τοὺς ἀσέρας ἀλλάζει.  
Τέλος ἐτέρας ταπείριον ἔπειρον αἰτησιν ἀπειπε.  
Ταῦτα γε εὐθύνοντα βιβαργῶς παλάμαιντες εἴργα.  
Η νίκα, ἀχλυστή, βολαῖς, ὡς ἐπούς, ἀρέσει.  
Οὐρανιαῖς οὐ μὴ σελαγήσει φοίβος ἀσόλλωμ.  
Μή σφαιρώματα κακῆ φθείροιτο κατώτερον ἀτη.  
Ἄφεντοι μὲν ἀλλὰ τεῖσι σώζοιτο μήδεος ὄντα.





1226



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 1226 4° (LN 608)

